



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus IIX. Sanctitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. VII.

Sanctorum cultus, & invocatio.

Domine omnipotens - audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum ipsorum, qui peccaverunt ante te. Baruch. 3. 4. Ergo etiam mortui orant? utique: sed ij, qui vivunt in cælo. Drexelis Trism. l. 2. c. 2.

Quæ est spes nostra &c. 1. Thess. 2. 19. Nota contra Novantes: Si S. Paulus hic Thessalonicenses, sine ullâ Dei aut Christi, injuriâ, vocat suam spem, suum gaudium, imò suam coronam gloriæ; cur non possimus vocare, & invocare B. Virginem, quæ Mater Dei est, spem nostram, Matrem misericordiæ, vitam, dulcedinem, nostram? Cornelius hic.

Gratia vobis, & pax &c. Et à septem spiritibus &c. Apoc. 1. 5. Asseritur hic invocatio Sanctorum. Non cum Joannes ait: *gratia vobis à septem spiritibus*; hōc ipsō rogat hos septem angelos; ut gratiam illis à Deo impetrent. Ergo eos invocat. Cornelius hic.

Nullus homo est, qui aliquem specialem sanctum speciali devotione habere non deberet; cui se quotidie commendaret; & pro cuius honore aliquid speciale faceret. S. Bonav. l. 97.

§. IIX.

Sanctificare.

Sanctificetur nomen tuum. Matth. 6. 9. A quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat?

sed quia ipse dixit: *sancti estote*; quoniam ego sanctus sum; id petimus, & rogamus: ut, qui in Baptismo sanctificati sumus, in eo, quod esse cepimus, perseveremus. S. Cyprianus lib. de Orat. Dom. Petimus, ut nomen Dei actu nostrō sanctificetur in nobis: nobis enim bene agentibus benedicatur nomen DEI. S. Chrysol. l. 71.

Tolli de gentibus, & congregari de universis terris Credentes in Christum, & baptizari eos in remissionem peccatorum; hoc sanctificari est nomen tuum, ô DEUS Pater omnium! quia sic sancti sunt hi, super quos invocatur nomen tuum. Enim sanctificatio hæc, revera nominis tui sanctificatio est: quia non tam ipsis datur, quam tuo nomini; juxta illud Psalm. 113. 1. *non nobis Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.* Rupertus l. 5, in Matth. Pro eo, quod est, glorificetur, hoc est: fac vitam nostram in tuam esse gloriam. Nam sicut nomen DEI propter malos blasphematur; ita propter eos, qui bonam agent vitam, glorificatur. Theophylactus in Luc. 11. Sicut homines virtuosi DEUM sanctificant, dum sancti viventes DEUM, cui ita deserviunt, Sanctum esse demonstrant, ejusque sanctitati fideliter attestantur. Dion. Carthus, in Luc. 11.

TITULUS VIII.

SANCTITAS.

§. I.

In quo consistat.

Sancti, id est, mundi, estote. Levit. 11. 44. Sic sanctus pro mundo capitur Deut. 23. 14. *Et sint castra tua sancta*, id est, munda. Cornelius hic.

Dixitque Josue ad populum: sanctificamini. Jos. 3. 5. Hebr. *præparate vos.* Septuag. *purificamini in crastinum.*

Conjungere Deo. Eccl. 2. 3. Græc. *conglutinare Deo.* Omnis sanctitas sita est in amore, & conjunctione cum Deo. Quare, sicut Deus extremè odit peccatum, & tentationem; sic & is, qui Deo conjunctus est: sanctitas enim est puritas. Sicut autem impuritas nascitur ex contactu inferiorum (ut cum facies, aut vestis, luto aspergitur) vel cum anima per affectum inferioribus inordinate inhæret: ita puritas oritur ex contactu superiorum; cum affectus ad sublimiora, & nobiliora, assurgit, & iis inhæret. Supremum autem omnium, & simplicissimum, ac purissimum, est Deus. Unde summa puritas consistit in adhæione cum Deo. Cornelius hic. Sanctitas, est bonitas moralis: & est perfectio morum in actu, vel habitu; quæ etiam in scriptura *justitia* vocari solet. Denique ratio sanctitatis consistit in puritate, alienâ ab omni conta-

gione, & labe, peccati; ut docet S. Dion. Areop. c. 12. de div. nom. Lessius de perfect. div. Sanctus, l. 8. c. 1.

Tantum quisque sanctus est, quanta ejus ad Deum voluntas magna est. Blofius, sacellō an. fid. §. 4. Sanctum, idem est, quod non terrenum: unde sancti, qui in cælo sunt, nullum habent affectum terrenum, S. Thom. Aqu. Opusc. 10, c. 4.

§. II.

Sanctitatem præfer, junge sapientiæ.

Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte. 3 Reg. 3. 5. Quares: cur hæc visio Salomoni nocte exhibita? Symbolica causa fuit: quia Deus, licet in se sit lux infinita; mens tamen creata, præsertim humana, ad eam caligat.

Quare Deus sanctis, præsertim veteris testamenti, ut Abraham, Moyli, Jacobo, apparebat noctu vel in caligine. Rupertus carpit Salomonem, quod sapientiam, non sanctitatem, petierit. Tamen in eo reprehensibilis est, quod datâ sibi optione, tam pronâ ad dandum largitate Domini, bonum illud, quod verum, & summum est, non postulavit. Verum hoc bonum includitur in sapientiâ, quam postulavit. Unde addit: *ut sciam, quid acceptum sit apud te.* Sap. 9. 10. Sapientia enim in libris Sapientibus præcipue practi-

practicam, siue Ethicam significat: quæ docet nos sapienter, id est, iuste, sancteque vivere. Quæ proinde Sap. 10. 10. vocatur *scientia sanctorum*. Et Luc. 1. 17. *prudencia iustorum*. Cornelius hic.

Finxit duas columnas areas. 3. Reg. 7. 15. Duæ columnæ Salomonis significant, sanctitatem, & sapientiam, iungendam in Ecclesia. Sylveira in Apoc. 3. 12.

Qui non præfert sapientiæ sanctitatem, nunquam prosperabitur. S. Bonaventura hexam. f. 19.

§. III.

Sanctitatis laudes, dignitas.

Ecce constitui te Deum Pharaonis. Ex. 7.

1. Quæ causa? cur Moyse tam graviter, & tam frequenter, Egyptum verberante, increpante Pharaonem tam sæpe; nunquam ausi sint, vel percussu Egyptii, vel Rex oburgatus, eum occidere, vel regnò pellere? &c. Id nemini in mentem venit: quia spes abjecta obtinendi imperii, è regia fortis egressio, & ipsa dominationis fuga, sic venerandum faciebant, & afflictis subditis, & irato principi; ut nemo eum ferire, vel verbò percellere, ausus, S. Ambr. Octon. 8. Pl. 118. factus in Deum regi Pharaoni. Hæc est potentia sanctitatis. Et tu, si vis, tanquam Deus, peccatoribus terrori esse, regibus reverentiâ; ut tanquam Deo tibi videantur esse subiecti: contemne, quæ sunt sæculi; & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre divitiis. Oliva t. 3. conc. 31.

Sanctificavi te. Jerem. 1. 5. Id est, ut aliqui explicant, ad rem magnam, & eximiam, selegi te. *Sanctus* enim subinde significat *magnus* quid, & eximium: quia sanctitas in Deo, & creaturis, est dos magna, & eximia. Cornelius hic.

Exercendis ad sanctum moniam mentibus, atque corporibus, ipsa quoque elementa Mundi famulantur. V. Beda in c. 9. Amos. Idem habet S. Leo f. 6. de jejun. sept. mensis.

Ubertiorem fructum præbet audientibus sanctorum virorum mirabilis vita, quàm ostensa miracula. Illa siquidem exigit imitationem; ista solam ingerunt admirationem. Miracula docent, quomodo illi sancti fuerunt; vita verò insinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant sancti. B. Petrus Dam. ep. 19. ad Alexand. II. P.

Laudabilius est, fortia peregrisse, quàm nova. Unde David, cum præmisisset Pl. 67. 36. *mirabilis Deus in sanctis suis*. Mox addidit: *ipse dabit virtutem, & fortitudinem, plebi suæ*. Non ait, signa, seu prodigia, sed *ipse dabit virtutem, & fortitudinem*. Id. ibid.

Excedit sanctificatio beatificationem prioritate: nisi enim illa præcederet, ista non sequeretur. Sim. Cass. l. 12. c. 18.

§. IV.

Sanctitas in vultu lucet.

Lux vultus mei non cadebat in terram. Job 29. 24. Tacitè insinuans, virtutum internarum splendorem exterius emicantem, non inanem, aut inutilem esse; sed proximos recreare; atque ad amorem Dei accendere. Doultreman l. 3. c. 3. sect. 4.

In facie prudentis lucet sapientia. Prov. 17. 24. Et Eccl. 19. 26. *Ab occurssu faciei cognoscitur sensatus*. Quibus docet Spiritus S. Polyanth. Sacr. Tom. II.

viri iusti esse, internâ, & exteriori, sanctitate præditum esse; & ita vivere, ut vultu ipsò, & aspectu, virtutem præferat. De S. Joseph legitur Gen. 39. 4. cum Putyphar servus esset, ita vixisse, ut Dominus idololatra Dei amicum eum agnosceret. Act. 6. 15. de S. Stephano: *viderunt faciem ejus, tanquam faciem angelis*. Diez conc. 4. in Invent. S. Crucis.

Sapientia hominis lucet in vultu ejus Ecclæ 8. 1.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula sumi, ex aromatibus myrrhe, & thuris? Cant. 3. 6. Non thus est virginitas; sed compacta è thure virga: illud enim si non uratur, potest non sentiri. Fumigantem verò ex aromatibus virgam quis ita premat, quin fragret? Oliva Dom. 2. Quadr.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Innocentiæ residentis in mente proles est nitor; qui oris habitu, verbisque, profunditur. Oliva ibid.

Viderunt faciem ejus tanquam faciem angelis. Act. 6. 15. Abundantia cordis transiit in decus corporis; & in facie pulchritudinem candor, splendorque animi exundabat. S. Hilarius Arel. hom. de S. Stephano.

Abundantia cordis transit in decus oris; in exterioris gloriam candor interioris redundat: habens intra se Spiritum S. os per se gestat angelicum. S. Fulgentius de S. Stephano. Puritas, & sanctitas, in interiori, non erat hominis, sed angelis: inde vultus in exteriori non apparebat hominis, sed angelis. Sylveira hic.

§. V.

Sanctitatem consequendi motiva.

Beati qui esuriunt, & sitiunt, justitiam &c. Matth. 5. 6. Nulla enim res implere potest desiderium animæ; nulla alia, præter iustitiam, beatificare eam potest. Sanct. Bernardus f. 4. in festo OO. SS.

In omni conversatione sancti sitis. 1. Petri 1. 15. S. Petrus plenam, & universalem, à Fidelibus requirit sanctitatem: aliqui enim in templo videntur angeli; sed in domo sunt diaboli. In templo sitis ardentes ut Seraphim; in Schola, & cubiculo, speculantes ut Cherubini; in iudicio placidi, & æqui, ut Throni; in cupiditatibus frenandis excelsi, ut Dominationes; in regimine prudentes ut Principatus; in tentatione Mundi calcandis fortes, ut Potestates; in lucta cum dæmone fortes, ut Virtutes; in officio, & opere publico, fideles, ut Archangeli; in mensâ, plateâ, forò, lectò, &c. Honesti, pudici, compositi, sancti, ut angeli. Cornelius hic.

Noli virtutem negligere; sed totis viribus sanctificationem procura: quoniam ideo egressus es Mundo. S. Ephrem de virtute c. 9.

§. VI.

Sanctitatis omnis locus idoneus.

Ex Veteri.

Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum unum, & appareat arida. Gen. 1. 9. Non dixit, appareat humefacta terra. Arida nomen retinet, licet aquis tota perfusa fuerit. Ut significetur: hominem probum id sibi de auxiliis Dei efficacibus promittere posse, quod in mediis aquis

H h h h

populi,

populi, occupationum, suam retinebit quietem, qualem in Monasteriis maxime solitarii; dummodo seculum habiet. Did. Niss. D. 2. Adv. §. 2.

Dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te &c. 1. Reg. 17. 46. Theodoretus q. 40. hic: Propheta autem cum esset in acie, prædicit universi orbis terræ Dei cognitionem. q. d. nihil impedimento fuit Davidi militia, quod minus Propheta esset. Did. Niss. ante cit.

Lavabo per singulas noctes lectum meum &c. Pl. 6. 7. Davidem miror, stratum sibi deligere; ut ibi sletum suum libaret Domino. Cur non sylvas, & antra? quid lacrymis cum lecto? dissidium summum; & ideo in lectulo lacrymetur. Scit ibi gratiorem fore lectum suum, ubi exarescere potuit. Oliva l. 3. Strom. §. quæ est ista.

Jubilate Deo omnis terra. Pl. 65. 1. Omnis? Judæa jubilet, in qua natus Christus? Æthiopia vero cur non jubilet? quæ tam longè abiit a vera luce? quam propior soli est. Jubilet omnis terra: non enim felicius est, quæ felicius videtur. Natus in Judæa Christus; sed in Judæa quoque crucifixus est. Quid illi profuere salvatoris cunæ, quas patibulo funestavit? O si audissem Jesum! inquit nonnemo; peccator non forem. Judas audivit, & vendidit; Herodes vidit, & sprexit, Caiphas agnovit, & damnavit; Longinus adfuit morituro, & confixit. Non Jesum audivisse, sed Jesum dilexisse; optandum est. Licet verò Jesum diligere etiam Sodomis. Oliva t. 2. Strom. §. Jubilate.

Ex Novo, & Patribus.

Joannes cum audisset in vinculis opera Christi. Matth. 11. 2. Non est sanctitas loco adstricta. Did. Niss. D. 2. adv. §. 2.

TITULUS IX.

SANGUIS CHRISTI.

Percuties petram, & exibit ex ea aqua. Ex. 17. 6. Aqua, quæ de petra egressa est, typum sanguinis salvatoris præfert. B. Theod. q. 27. in Ex.

Oleum effusum nomen tuum. Cant. 1. 2. Sanguis Christi effusus pro me, est oleum infusum in me; ut mea lethalia vulnera sanet, & peccata remittat. de Ponte hic Exh. 28. §. 2.

Introduxit me in cellam vinariam. Cant. 2. 4. Alii per cellam vinariæ accipiunt altare, in hoc enim sacerdotes consecrant, hauriunt, & distribuunt, vinum

Nihil interest, ubi sis in sæculo, qui extra sæculum estis. Etsi corpus includitur, etsi caro detinetur; omnia spiritui patent. Tertull. lib. ad Martyres.

Sicut, licet quis margaritam lutò obruat, nihilominus nativam retinet pulchritudinem: sic, & virtus, quodcumq; eam projeceris, suam vim exerit; etiam in servitute, etiam in carcere, etiam in afflictione, etiam in prosperitate. S. Chrysost. hom. 63. in Gen.

Si Deum benevolum habeas, licet in fornacem incidas; ne desperes. Sicut, si succenscat, licet in paradiso sis, ne confidas. S. Chrysost. hom. 4. ad pop.

Miscellanea.

Omnia gloria ejus filia regis ab intus. Pl. 44. 14. Ecclesia siquidem, vel quæque fidelis anima, quæ & ipsa sanctorum Apostolorum est filia; non extrinsecus enitescit, sed ornata gaudet in occulti Judicis obrutibus apparere. B. Petrus Dam. l. 6. ep. 14.

Sperat justus in morte sua. Prov. 14. 32. Septuag. *sperat justus in sanctitate sua.*

Rem familiarem industriâ, & solertiâ, juxta leges mulieri fortè à Salomone præscriptas, ita vixit, quasi pietatem colere nesciret: Deo rursus, divinisque rebus, ita sese totam adjunxit, tanquam à rerum domesticarum procuratione plurimum abesset. Neque ab alterutro horum quidquam impedita est, quod minus alterum impleat: quin potius utrumque alterius ope fulcivit, & confirmavit. S. Gregor. Naz. or. 28. de funere Patris.

Docta sanctitas sanctam rusticitatem præcellit. S. Rupertus l. 2. in Joan. 1.

Duo, sine pluribus, faciunt hominem sanctum; videlicet cognitio, & amor: hoc est, cognitio veritatis, & amor bonitatis. S. Edmundus Cant. spec. Eccl. c. 3.

TITULUS X.

SAPIENTIA.

§. I.
Figura, & Symbola.
Sol.

Solem in potestate dies Pl. 135. 8. Præcipuum fidelium cordium lumen est, veniens ab ipso justitiæ sole sapientiæ; secundum autem lumen est scientiæ; quæ inter sæculi hujus obscura, dat quodammodo lunare solatium. S. Prosper Aqu. hic.

Est enim hac speciosior sole; & super omnem dispositionem stellarum; luci comparata in ventur prior. Sap. 7. 29. Hugo Card. prior id est, dignior. hic.

Et vidi alterum angelum & facies ejus sicut sol. Apoc. 10. 1. Quinque angelos viderat Joannes, nulliusque faciem solis æmulam prædicavit, nisi hu-

jus. Cur? habebat in manu sua libellum apertum. v. 2. Librum in manu habet, cumq; apertum: studii, & sapientiæ, testimonium præfert. Alvarez in Gen. 37. 3.

Ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Lactantius lib. 2. instit.

Lux.

Fiat lux. Gen. 1. 3. Lux est scientia, & sapientia. S. August. l. 1. de Gen. ad lit. c. 17. primò creata est lux, id est, prior omnium creata est sapientia. Cornel. hic.

Vidi, quòd tantum præcederet sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris. Eccl. 2. 13. Nota: apposite sapientiam, id est, prudentiam, sanctitatem, conferri luci; stultitiam verò, & imprudentiam, & vitium, tenebris; ob multas analogias. 1. Quòd sicut lux est vera qualitas, habens